

Q. N. 349, 14.

T. 150

II c  
438

X 1860/184

EXERCITATIO  
DE  
PLATONISMO  
PHILONIS JUDÆI

Viro doctissimo Johanni JONSIO opposita,  
Et indultu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In posterioris

PRO LOCO

Dissertationis argumentum proponenda

A

M. JOH. ALBERTO FABRICIO,

Lipsiensi.

Pridie Misericordias Domini

Anno M DC XCIII.

LIPSIÆ,  
Typis ANDRÆ ZEIDLERI.



*Monf. Uvarub Dowl*

9.2.



*Amplissimo Plurimumque Reverendo*

VIRO,

DOMINO

M. GERHARDO CORTHUMIO,

Meritissimo Bergedorfensium Ecclesiastæ,

Dno. Avunculo suo instar Patris  
colendo atque observando

Hanc quoque Exercitationem Academicam

Grati & observantis animi

Certum potius quàm magni momenti

Monumentum

inim Sacram esse cupit

---

M. JOH. ALBERTUS FABRICIUS.



## Ad Lectorem.



Um ex Dionis Chrysoſtomi monitu circumſpiciendum ſit undiqvae Sapientiae Studioſis, εἰπερ ἡ δυνήσονται εὐρέσθαι παρὰ τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν ὡς περ ἀπερρίμενον ἤδη βῶλον σοφίας λείψανον δὴ ἡ τῶν κρείττονων τε καὶ ζώντων διδασκάλων. Non dubitavi ego inter alias quæ in honore fuere veterum opiniones Cynicorum quoque placita perlustrare, etſi nihil vulgo eorum nomine exoſius abjectiusque eſſe ſcirem. Cogitanti vero mihi in argumentum diſſertationis Cyniſmi hiftoriam proponere, ac Philoſophiæ illius, cujus ſoboles Stoica fuit, paulo accuratiora ducere lineamenta: copia dicendorum obſtitit, & de alio argumento hæc vice cogitare perſuaſit. Quod quale elegerim, me tacente, in titulo jam proditum tibi eſt: Nihil itaque reſtat, quam ut cum bonâ Tuâ, Lector Optime, veniâ, nunc ad illud tractandum me accingam, & ſicubi lapſus fuero, de tua non deſperem benevolentiam. Brevitati de induſtria litavi, quod non cum Satirico ſtultum arbitrarer chartæ parcere: ac jam quoque metuerem, ne Socraticis oculis vel pauca hæcce χαρτία πολὺ τῶν γεγραμμένων ἡμιώτερα viderentur.



Vamvis persuasissimum Veteribus fuit, Philonem Judæum plurima in scriptis suis mutuatum esse ex Platonis schola, adeo ut res hæc etiam in proverbium abierit: repertus tamen est nostra ætate qui de eo dubitaret vir doctissimus Johannes Jonsius, communemque sententiam hisce impugnaret verbis, quæ ex libro tertio præclari Operis de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ capite quarto huc apponi convenit. *Caligule & Claudii Principatu emittit Philo Alexandrinus Judæorum disertissimus, de quo Eusebius Hist. Eccl. II. 4. πρὸς τὰ φιλόσοφα καὶ ἐλάττωρα τῆς ἕξαιθεν παιδείας, οἷός τις ἦν, ἔθεν δεῖ λέγειν, ὅκε καὶ μάλιστα τὴν κατὰ Πλάτωνα καὶ Πυθαγόραν ἐζηλωκῶς ἀγωγὴν διενεγκεῖν ἀπαντας τὰς κατὰ ἑαυτὸν ἰσορρεῖται.* Hieronymus *Epistola ad Magnum Oratorem Rom.* Quid loquor de Philone quem vel alterum vel secundum Judæum (vixi forte hæc ultima vox glossæ loco habenda) Platonem Critici pronunciant? *Vellem Criticorum nomen hic expressisset Hieronymus quos sequeretur, ut major dictis fides haberi posset.* Eratosthenes δὲ τερτὸς ἢ νέος πλάτων dictus est, teste Suida in Ἑρατοστ. *De Philone Judæo nihil alibi leges. Sed in Philosophia Platonica tantum profecisse dicitur, ut de eo hoc fuerit jactatum encomium, ἢ φίλων πλατωνίζεις, ἢ πλάτων φιλωνίζεις, id quod de Philone Judæo Patres interpretantur, antiquiores dubie, juniores confidenter.* Verum superstites libri Philonis nomine Platonicum genium non spirant neque Josephus gentis suæ nimis laudator, qui Philonem Judæum virum insignem & Philosophia non imperitum dicit lib. XVIII. *Antiquitatt. Jud. cap. 10. hanc Platoniam ejus eruditionem novit, neque ullam Philonis librorum facit mentionem, qui cætera suæ gentis satis extollit. Dicet aliquis Philosophiæ eum non ignarum à Josepho habitum. Verum ejus Philosophiæ de quâ scripsisse putatur, gnarum eum fuisse largior.* *Ἔγραψε αὐτὸς τῶν Ἰουδαίων φιλοσοφῶντων*

των τὴν θεωρητικὴν καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν *teste Phor-*  
*tio, &c. Hæc Jonsius.*

## II.

Tria potissimum hoc loco vir doctus vulgatæ opinionī  
objicit, quæ singula expendenda diluendaque sunt. Primum  
est, antiquiores Patres proverbium *ὡς φίλωνος πλατωνίζον-*  
*τος* dubie interpretari. Alterum, libros Philonis nomine su-  
perstites non spirare genium Platonicum. Ultimum est de-  
nique, Josephum Philoni supparem rerumque Judaicarum gna-  
rissimum Platonicam illius eruditionem ignorasse, & quando  
Philosophiæ peritiam ei tribuit, Philosophiam non Platoni-  
cam sed religionis, ut vocat Salvianus, at Judaicæ intelle-  
xisse.

## III.

Ut Homericō more à postremo incipiam, fateor Phi-  
losophiæ vocabulum pro Theologia Judaica sed & Christianā  
interdum accipi à veteribus. Cum res sit notissima, frustra  
utique sim si locis autorum congerendis otio meo abuterer,  
lectorique nauseam excitarem. Sane Josephus ipse, qui alibi  
de tribus sectis loquens *τρῆς φιλοσοφίας* apud Judæos esse scri-  
bit, libro de Maccabæis Eleazarum appellat *φιλόσοφον θεῖς*  
*λόγος*. Et Philo libro de confusione linguarum, cum de Deo  
ejusque operibus ex Mose differuisset, *τὸ φιλοσοφεῖν*, inquit,  
*ἔδεν ἢν ἄλλο, ἢ τὰ ὅλα σπυδάζειν ἀκρεβῶς ἰδεῖν*. Idem in libro  
de vita contemplativa, studium legis ac Prophetarum vocat  
*ἱερὰν φιλοσοφίαν*. Ac paulo post de Therapentis suis, *φιλο-*  
*σοφῶσι*, ait, *τὴν πατρίαν φιλοσοφίαν ἀλληγορεῖντες*. Nec forte  
erraverit, qui dixerit Judæos, uti Philosophiæ vocem à Pytha-  
gora acceperunt ita Platonicorum exemplo Theologiam suam  
illo nomine censuisse. Non desunt etiam viri eruditi, qui  
apud Apostolum ad Coloss. II. 8. per Philosophiam religionem  
Pharisæorum, sunt qui Essæorum intelligunt, quamvis alii  
ni fallor Paulum rectius de Platónica vel Pythagorica inter-  
pre-

pretentur Philosophia. Christianam vero religionem constat ab Eusebio τὴν κτ' χριστὸν φιλοσοφίαν dici, uti à Theodoro VII. de curat. Græcar. affect. φιλοσοφίαν εὐαγγελικὴν. Quid quod Johannes Tzetzæ variis Philosophiæ descriptionibus in medium adductis solos Monachos veros esse Philosophos contendit his verbis Chil. 10. hist. 343.

φιλοσοφία μὲν ψευδὴς ἢ λόγοις ὀγκυμένη  
 ὄντως φιλοσοφία δὲ τῶν μοναζῶν τῶν ὄντως  
 ἀντὶ θανάτου μάθησις καὶ νέκρωσις σαρκίς  
 καὶ γνῶσις δὲ τῶν ἀληθῶς καὶ ὄντως ὄντων  
 καὶ τῶν θεῶν ὁμοίωσις ὡς δυνατὸν ἀνθρώποις,  
 καὶ τῆς σοφίας καὶ θεῶν καθέστηκε φιλία  
 τέχνη τεχνῶν καὶ ἐπιστήμη τῶν ἐπιστημῶν τε  
 καὶ δὴ μέγιστη μουσική, ἰατρικὴ ψυχῶν τε  
 ὅσοι τε ἄλλοι ὅρισμοί εἰσι φιλοσοφίας  
 τῆ ἄλλῃ γὰρ ἀρμόδιος ἕδεις ἐστὶ τῶν ὄρων.

\*ita legendum

Ex quibus duorum postremorum versuum hæc est sententia, nullarum, non harum modo quæ adductæ sunt sed nec aliarum quæ afferri possent philosophiæ definitionum, aliis quibuscunque Philosophis convenire quam genuinis Monachis, nec alii ulli Philosophiæ quam genuinorum Monachorum. Quod etsi perspicuum sit, ideo tamen monendum esse existimavi, quia longe alium isti loco sensum affinxerat interpres latinus.

#### IV.

Fateor igitur ex Josephi verbis, quibus Philonem φιλοσοφίας ἐκ ἀπειρον esse testatus est, manifesto probari non posse quod Platonicæ Philosophiæ peritus eaque imbutus Philo fuerit. Quis vero è contrario ex iisdem ausit affirmare, Platonicam Philonis eruditionem Josephum latuisse. Nam φιλοσοφίας vox generalis est, & quamvis Philosophiam cujus non imperitus Philo fuit, significatione sua complectitur, etiam τὴν ἔξωθεν ut veteres Judæi & Christiani appellant, quæ interdum

dum ἐγκύκλια etiam comprehendunt μαθήματα. Quidni ergo Platoniam quoque Philosophiam hoc loco significare possit, quam discrete nominare Josephus noluit, vel aliam quacumque ob causam quæ nos fugit, vel quod id Josephi iudicio, Philoni ac Judæis parum esse honorificum videretur. Quamvis enim in plurimis Platonica & Pharisaeorum conspirabat Philosophia, consentaneum tamen erat Pharisaicum Philosophum à Pharisaeo non Platonica sed Judaica peritum dici sapientia. Si quis vero nimio studio Platonem fuisset sectatus, ut de Philone veteres affirmant, quæ melius à Josepho & honori gentis suæ & veritati consuli potuit, quam ut simpliciter Philosophia peritus ab eo nuncuparetur? Gratis igitur objicitur Josephum Judæorum suorum nimium laudatorem & qui cætera gentis suæ satis extollat, neque Philonis librorum facere mentionem, neque Platoniam ejus eruditionem novisse. Neque enim alibi Josephus elenchos scriptorum auctorum solet encomiis subicere, neque expressam dogmatum Platonis mentionem multum ad amplificandas gentis suæ vel etiam Philonis laudes facere arbitratus est. Neque quenquam esse memini, qui ex silentio Josephi, libros Philonis, qui Origenis Eusebii aliorumque veterum testimoniis ei vindicantur, Philoni abjudicandos existimet. Quare nec Platonica Philosophia cognitio studiumque propterea quod Josephus illius conceptis verbis non meminit, Philoni extemplo est denegandum, cum id uno ore alii veteres illi tribuant, & ei tribuendum esse, scriptorum Philonis lectio hodieque docere nos possit.

## V.

Si quis colligat, ita nihilominus Judaica potius quam Platonica sapientiam imbutum Philonem dici debere, & à Josepho debuisse, quia nempe Platonica ac Pharisaica Philosophia in non paucis convenerit, Judæorum vero illa alteram ætate superarit: Duo sunt quæ video me posse regerere, Primum  
qui-

quidem Plato pauca quaedam fortassis ab antiquioribus Zabiiis  
vel etiam Judæis: Judæi vero & in his Alexandrini potissimum  
Hellenistæ, præ reliquis autem Philo longe plura à Platone &  
Pythagora acceperunt. Nam quemadmodum veritatis scin-  
tillas quasdam à populo DEI ad gentes permanasse inficiari  
nolim, ita putem longe probabilius esse Judæos à gentibus  
quàm hæc ab illis futiles suas falsasque hausisse opiniones.  
Deinde Jonsius non veretur asserere libros Philonis nomine  
superstites genium Platonicum non spirare, quod perinde est,  
ac si dixisset vir doctus eos nec Judaicam, quatenus cum Plato-  
nica ei conveniebat, referre Philosophiam. Quarum assertio-  
num utramque Philonis lectione perspicue refelli existimo.

## VI.

Dixi Platonem fortassis pauca quaedam ab antiquioribus  
accepisse Judæis. Nam plura accepisse vel omnia ille demum  
affirmavit, qui Platonis & antiquiorum doctrinæ Philosopho-  
rum, & religionis Judaicæ sit juxta ignarus. At quaedam ac-  
cepisse probabilem fidem faciunt conspirans in doctrinis qui-  
busdam naturæ lumini vix percipiendis veritas: tum anti-  
quorum testimonia, qui Platonem jam cum Alexandrino Cle-  
mente *Φιλόσοφον ἐξ Ἑβραίων*, jam ex Numenio Mosen Atti-  
cissantem, jam cum eodem Clemente *ἐκ τῶν Μωϋσεως ὁ Φελη-  
γέντα* vocant, & passim similibus afficiunt titulis. Huc refer  
alteram partem proverbii *ἢ πλάτων Φιλωνίζῃ*, quod nihil  
aliud sonat ac si dicas *Ἰσραήλῃ*. Neque enim Philonis Judæi  
studio atque opera, neque ex ejus scriptis Plato profecit, uti  
Chronologiâ inconsultâ bonus putavit Donzellinus. Fertur  
etiam Plato Philosophiæ causa in Orientem *ὡδὴ τὰς προφήτας*  
profectus esse, ibique mysteria quibus Philosophiam suam ex-  
ornavit, didicisse, quo de illius itinere veterum scriptorum  
testimonia consuli possunt, quæ collegit magno literarum de-  
trimento nuper admodum è vivis ereptus doctissimus senex

Ægi-



VII.

Dixi vicissim, Judæos Hellenistas longe plura accepisse à Platone. Quod non obscurum fore arbitror si quis cogitet, quomodo non tantum sanas Philosophi doctrinas, quarum forte plerasque jam pridem noverant, sed & errores, atque adeo una cum frugibus etiam scarabæos cum suis tabernaculis in horreum suum congererint, inque Philosophiam suam receperint Judæi. Quod cum Philonis exemplo latius paulo post sim demonstraturus, hoc duntaxat jam addidisse sufficiat, nihil fuisse Alexandria Platonis nomine dogmatisque celebrius: quod infinitis Platoniorum, qui ex Alexandrina schola prodire, exemplis, & aliis scriptorum veterum posset comprobari testimoniis, nisi jam, qui de eo dubitaret, esset nemo. Uti nec hoc à quoquam temere negatum iri confido, Philonem quoque fuisse Alexandria ibique scholas frequentasse Platonicas, & Platonis librorum lectioni subinde vacasse. Quorum postremum vel inde patet, quod Platonis verba non semel à Philone adduci deprehendimus.

VIII.

Jam videamus ut verum sit quod affirmat doctissimus Jonsius, superstites Philonis nomine libros Platonicum genium minime spirare. Inprimis vero exploratum esse debet per genium Platonicum non tam eloqvii seu *Φράσεως* quam sensuum seu *διανοίας* similitudinem, sive non tam dictionem Platonis & scribendi rationem à viro erudito innui, à qua Philonis libri longius fortassis dissident, etsi in illâ quoque & in verbis eum non raro *πλατωνίζειν* observatum fuit. Sed doctrinam potius & genium Philosophicum qui in Platonice scriptis exhibetur vir doctus intelligit. Hunc igitur cum in Philonis scriptis referri Jonsius neget, operæ pretium est Philonis dogmata cum Platonice paulisper conferre, & quam manifestò scripta Philonis genium spirent Platonicum, lectori ob oculos ponere.

Non sum prolixè immoraturus iis quæ de λόγῳ mente σοφία &c. Platonica doctrinæ consentanea apud Philonem passim occurrunt. Cum enim Plato ista à Judæis accepisse communiter credatur, & Sandius in Diss. de λόγῳ quivque eum refellendum fumsit Voigtius loca Philonis huc facientia collegerint discussierintque, parum forte ad rem faciat hîc valde velle videri diligentem. Neque in eo industriam meam lectori probabo, ut Trinitatis vestigia eadem quæ in Platone viri docti solent ostendere in Philoniis scriptis similiter demonstrarem, quod per quam facile factu esset. Neque persequar, quod Philo in libro de mundi opificio stellas animalia intellectu prædita esse affirmat. Nam tametsi idem à Platone quoque assertum fuit, dicent tamen alii eandem etiam Judæorum sententiam fuisse ex perperam intellecto Psalm. XIX. Illud vero præterire nec possum nec debeo quod post Platonem Philo quoque docuit hoc universum per plures administras potentias ad exemplar invisibilium conditum esse idearum. Cum plurima huc referenda in Judæi illius scriptis, libro de opificio mundi & aliis extent loca, tum insignis est, qui legitur libro de lingvarum confusione his verbis: *Ἐἰς ὧν Θεὸς ἀμυθήτης παρὶ αὐτὸν ἔχει δυνάμεις ἀγωγὰς καὶ σωτηρίας τῶ γενομένων πάσας, αἷς ἐμφέρονται καὶ αἱ κολασήμοι. — δι' αὐτῶν τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγει κόσμος τὸ τῶ φαινομένων τῶδε ἀρχέτυπον ἰδέαις ἀοράτοις συσταθεῖς, ὡσπερ ἔπος σώμασιν ὄρατοῖς.* Qui Platonis legerit Timæum, idem quoque minime dubitabit hoc loco à Philone Platoniam referri spirarique doctrinam. Ipse Philo in libro de mundo incorruptibili, Platonis verba, ne quis dubitet, in medium affert. Taceo quod idem alibi ex Platone ad Mosaicam philosophiam deflexit λόγον vocando ideam mundi & in specie ideam sive imaginem hominis. Quid quod lib. I. de Monarch. Deum ita de ideis se stipantibus loquentem inducit, ac si Idearum nomen jam Mosis ætate apud Judæos cognitum celebratumque fuisset. Quo nomine Philonem merito ridet Petavius lib. 4. de Deo cap. 9. Et jampridem

dem Photius cod. 105. notarat eum ἀμαρτάνουλα ἐν πολλοῖς, ἰδέαις  
τε ὑπολιθόμενον ἔ ἀλλάττα τῆς Ἰσραϊτικῆς φιλοσοφίας συγγραφο-  
μῶνον.

## X.

Angelos quoque sæpius Platoniorum exemplo Philo-  
λόγος appellat. Sed & ex eorundem opinione angelos five  
dæmonas ejusdem atque hominum animas generis esse docuit  
& animalium vocabulo ac naturâ complexus est. Multa item  
alia de spiritibus cum Platone sensit, quæ ut compendio no-  
scantur, adscribenda Petavii verba, quibus Philonis senten-  
tiam expendit libro primo de angelis capite primo. *Idem  
Philo in libro de somniis uti dignam gentili ac Platónico Philosopho,  
ita Scripturarum sacrarum ac Mosis & Prophetarum alumno mi-  
nime congruentem opinionem explicat de quadruplici animarum  
specie, quarum alias dicit terræ corporumque captas illecebris in  
ea descendere, ibique tanquam vinculis attineri: alias certis à na-  
turâ constitutis terminis ac temporibus solutas efferrī sursum, nec  
ad corpora amplius reverti, alias iterum in illa relabi. Postremas  
esse purissimas & optimas, quæ altius quiddam ac divinius sapientes  
nullâ unquam terrarum rerum cupiditate tactæ sunt: ac sunt velut  
præfæcti quidam à summo Imperatore constituti, velut magni Regis  
oculi & aures, quæ intuentur & audiunt omnia. Hos Dæmones  
quidem alios Philosophos nominare, at Scripturam Sacram Ange-  
los appellare solere, tanquam internuncios ac sequestres Deum inter  
Patrem ac filios, quod illius isti metu ac terrore consternati ad eum  
aspirare per sese non audent. Sic in libro de sacrificiis Abelis &  
Caini, Angeli, inquit, exercitus sunt DEI corporis expertes,  
ac beatæ animæ. In his germanum Platonium pariter & Phari-  
sæum agnoscis. Nam & Pharisei transitum animarum ex aliis in  
alia corpora tenuerunt ut autor est Josephus. Et Platonem una  
cum Thalete Pythagora & Stoicis refert Plutarchus heroas putasse  
animas esse corporibus perfunctas ac bonas quidem esse bonas ani-  
mas, malos autem malas: porro dæmones dixisse esse substantias  
animales. Cui simile quiddam ex Plotino refert Augustinus in libro  
IX. de Civitate DEI capite XI. Hætenus Petavius.*

## XI.

Platonicam de animabus doctrinam nemo fere distinctius fufiusque exposuit Gallipolitano Philosopho Johanne Baptista Crispo, in opere de ethnicis Philosophis caute legendis. Nam ibi per 24. propositiones Platonis de anima opiniones digeffit totidemque libris persecutus est. Ex quibus 24. Platonicis de anima propositionibus aufim affirmare vix unam vel duas esse, quas non in scriptis suis Philo similiter asseruerit. De transitu animarum in alia corpora jam audivimus. Præexistentiam earundem non mirum est post Platonem Philoni placuisse, cum & recentioribus vulgo probetur Judæis, qui psychodocheum quoddam persuasi sunt esse in cælo, in quo animarum reconditorio quod Goph sive Guph appellant, ubi nullæ amplius supererunt animæ, tunc demum futuram esse narrant resurrectionem. Tripertitam esse animam hominis, cujus pars mens sive ratio pars ira pars sit concupiscentia, Platonem secutus Philo his affirmat verbis p. 253. Τριμερῆς ἡμῶν τῆς ψυχῆς ὑπαρχούσης, τὸ μὲν νῆς καὶ λόγος, τὸ δὲ θυμός, τὸ δὲ ἐπιθυμία κεκληρωῶσθαι λέγεται. Κηράνει δὲ κατ' αὐτὸ ἕκαστον ἴδια, καὶ πρὸς ἀλλήλα πάντα κοινῇ, ἐπειδὴν ὁ μὲν νῆς ὅσα ἀφροσύνη καὶ δειλία, ἀκολασία τε καὶ ἀδικία σπείρει, θείση. Eandem distinctionem repetit libro allegoriarum legis primo & alibi.

## XII.

Cum non in his tantum sed & in aliis fere omnibus Platoni Philo consentiat opinionibus, hæc tamen etsi non adeo multa speciminis loco adducta arbitror jam posse sufficere. Unum addere liceat, quod ex Platonica Philosophia de quatuor virtutibus Cardinalibus Judæus iste commentatur. Explicaturus enim totidem fluvios paradisi ita differit: *Animadvertendum est tripertitam esse nostram animam, habereque partes rationalem irascibilem & concupiscibilem, quarum rationalis regionem capitis inhabitat, irascibilis vero pectus, sicut concupiscibilis ingui-*

*inguina. Harum cuique appositam esse virtutem propriam, rationali prudentiam, irascibili fortitudinem, concupiscibili temperantiam. Quarta vero iustitia exoritur, cum tres animæ partes inter se consonant, quæ consonantia fit, dum penes præstantiorem est imperium &c. Quamquam constat aliàs quoque antiquis Judæis minime ignotum fuisse virtutum Cardinalium quaternionem, uti ex Josephi Maccabaico, & autore libri Sapientiæ VIII. 8. probari potest: Præterea eundem veteribus etiam Persis, Pythagoræ Peripateticis & Stoicis probatum esse novimus, ægre tamen credimus ita nisi à Platónico exponi potuisse.*

### XIII.

Judicet lector ex iis quæ jam allata sunt, utrum vere Vir eruditus affirmarit, scripta quæ sub Philonis nomine feruntur, Genium Platonicum non spirare, Philonemque Judaicæ tantum non etiam Platonicæ peritum fuisse sapientiæ. Nobis illa propemodum satis esse videntur ad veterum iudicium à censura Jonfii liberandum, neque dubitamus in utroque Philosophiæ genere celeberrimum cum Nicephoro pronunciare Philonem, & longe plura in Philoniis scriptis Platonismi vestigia extare contendimus. Ut non minus constet Platonis placita passim in illis exprimi atque referri, quam manifestum est legentibus Philonem in libro de mercede meretricis in sacrarium non accipienda imitari quæ de voluptatis ac virtutis apud Herculem contentione Xenophon Platonis æmulus ex Prodicō scripserat. Assentimur igitur veteribus Criticis qui Philonem alterum Judæum Platonem pronunciarunt, neque miramur eorum nomina non expressa fuisse ab Hieronymo, cum hæc communis omnium sententia fuisse videatur, Platoniorum imprimis, Amelii, Longini, Numenii & aliorum qui in Johannis quoque Evangelio Platonicæ Philosophiæ vestigium sibi videbantur deprehendere. Ut præstantissimus Huetius affirmare non dubitet Origenem etiam Philonis exemplo compulsam quemadmodum nimium indulgisse allegoriis, ita

Platoni quoque nimium tribuisse. Lib. 2. Origenianor. cap. 1. num. 4. Saltim certum est Christianos Judæorum, Platonis Placita ad suam doctrinam deflectere conantium, exemplum imitatos, de Platonismi cum Christianismo conciliatione cogitasse. Inter illos vero Judæos longe præcipuum & celeberrimum fuisse Philonem neque hoc negare quisquam jure queat. Miramur itaque Jonsium adductis Hieronymi Eusebiique de Philone Platonico testimoniis, addere quod id nusquam alibi legatur, paulo tamen post de Eratosthene quod *δὲ ἄλλος πλάτων* dictus fuerit, Svidam unicum in testimonium adducere, ac si hujus unius suffragium Eusebiis Hieronymisque merito præferri possit. Præsertim cum de Platonismo Judæi Philonis Eusebio ac Hieronymo idem quoque succinat Svidas succinant innumeri alii, ipse denique Philo Platonismum usquequaque spirans.

#### XIV.

Reliquum est ut & illud postremo loco excutiamus, quod ait doctissimus Jonsius, proverbium *ὡς Φίλωνος πλατωνίζοντος* Philoni Judæo Alexandrino dubie ab antiquioribus Patribus applicari. Sed profecto frustra sumus, cum non quisquam sit ex antiquioribus Ecclesiæ Doctoribus, qui dubie illud proverbium de Philone efferat. Nisi ad Augustinum forte vir eruditus respexit, cujus hæc sunt verba lib. XII. contra Manichæum, capite undevadragesimo. *Vidit hoc Philo quidam vir liberaliter educatus, unus eorum, cujus eloquium Græci Platoni æquare non dubitant.* Sed ita non video cur antiquiorem vocaverit Augustinum, cum non minus antiquus sit Hieronymus qui confidenter proverbium illud Philoni Judæo applicat. Antiquior etiam sit Eusebius, qui Platonici Philosophiæ studium absque ulla tergiversatione Judæo tribuit Philoni. Porro de Judæo Philone loqui etiam sine dubitatione Augustinum ex ipsis illis verbis apparet, nam *unus eorum* est *unus Judæorum.* Capitis siquidem adducti hoc est initium, *Itaque etiam ipsi Judæi.* Præterea confidenter proverbium illud de

de Philone Judæo interpretantur Isidorus Pelusiota, Hesychius Illustris, Svidas, Photius, Nicephorus & alii.

### XV.

Neque illud deniq; multum nobis negotii facesset quod tametsi à Jonsio minime objectum sententiæ tamen nostræ adversum esse possit videri. Observant Lipsius manuductione ad Philosophiam Stoicam lib. 1. Diff. 16. & Dodwellus ad fragmentum Philippi Sidetæ p. 507. Philonem de quo agimus aliquando Stoicissare. Verum si cogites quod idem observat Lipsius, Platonem quoque in non paucis ad Stoicos accedere sive consentire eorum decretis, non magis id nobis obesse poterit quam quod ab Eusebio affirmatum est, Philonem non modo τὴν κατὰ πλάτωνα, sed & τὴν κατὰ πυθαγόραν ἐζηλωκέναι ἀγωγὴν. Facit enim huc quod Platonis quoque Philosophiam τὰ πολλὰ τοῖς πυθαγορείοις δόγμασιν ἀκολούθησαν præter alios monet Aristoteles lib. 1. Metaphys.

cap. 6.

Θεῶν δόξα

---

### ADDITAMENTA.

1. Philonem Ebraice nescivisse, levibus admodum; Origenem non satis certis: Josephum novisse Ebraicè, certissimis potest confici argumentis.
2. Ordo librorum Philonis perturbatissimus est in vulgatis Editionibus.
3. Interpretationes Hebraicarum vocum V. T. quas latine vertit Hieronymus rectius Philoni quam Origeni adscribuntur.
4. Male arguitur Philo ut allegoriis sive ὑπονοίᾳ, quam Plato-

as  
710  
438

Platonis exemplo appellat, nimium præ reliquis de-  
ditus. Non illius ista, sed seculi, sed gentis suæ culpa  
fuit.

5. Ad LXX. Interpretes emendandos & iudicium de  
eorum lectione ferendum, non parum ex Philone  
auxilii peti potest.
6. Non tamen usq; quaq; ejus lectione standum, quia  
sæpenumero verba Scripturæ videtur ex memoriâ, vel  
aliquantum interpolata recitasse. Quod item in ve-  
teribus Ecclesiæ doctoribus observari oportet.
7. Qui Hellenistam vocant Philonem, aut nihil aliud  
dicunt quàm Judæum illum fuisse Græcè callentem  
aut quod dicunt probare non possunt.
8. Salmasius in scriptis de Hellenistica fortius nomen  
quam rem impugnasse videtur.
9. Platonis Physica aptior fuit ad falsa decreta & sub-  
tiles noxiasq; hæreses in Judaïsmum invehendas quàm  
Aristotelica. Idem jure summo erat metuendum  
Christianis, sed quod jampridem serum est monere.
10. Philo recte, Platonem imitatus, inter necessaria Philo-  
sophiæ *περὶ παιδευμάτων* refert Mathematicas disciplinas.
11. Philonis Therapeutæ quodammodo respondent  
*θεωροῖς* Platonis.
12. Philo etsi dialogos plures instar Platonis non  
composuit, passim tamen *ἐλέγχει διὰ ζητήσεως τὰ  
ψαδῆ, ἀποδεικνύει δὲ διὰ πινος διδασκαλίας τὰ ἀληθῆ.*  
Uti de Platone refert Alcinous cap. 6. Isagoges. Idem  
non raro Platonis exemplo Homeri & aliorum Ποῦτα-  
rum testimoniis utitur.

❁ (o) ❁

nc

Wm





M. GI

M

Dno

Har

erendo

THUMIO,

clesiaſtæ,

ar Patris

ademicam

menti

CIUS.

